



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.  
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni  
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &  
Aquilejense Schisma describitur**

**Noris, Enrico**

**Patavii, 1708**

§. 1. An Sanctus Augustinus erraverit, putans animas racionales,, &  
Angelos esse corporeos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

rum tum veterum, tum Recentiorum testimoniis communit. Hanc Sancti Augustini sententiam nuper defendit noster Pater Alipius Reylof Belga lib. 4 de animâ c. 2. §. 4. I nunc Moraines, & Augustino furor, nimumque in disputando impetum opponere, à regiâ viâ in extrema ille declinavit, sed secum & Patres, & cunctos Theologiæ proceres traxit, ut jam tot sapientissimis viris præeuntibus possit quilibet inoffenso pede illac iter carpere, licet Moraines aliâ viâ progrediatur, qui si fortè tantorum virorum vestigia notasset, eosdem & ipse secutus licet longo postus intervallo, sibi melius consulisset.

Hæc quidem de objectis ab uno Morainio Augustinianæ doctrinæ excessibus dicta sufficiant, quæ si ipsimet Recentiores attentius considerent, dubio procul fatebuntur non Augustinum, sed semet in periculosos excessus declinasse, cum enim audirent à Jansenio Iprensi Episcopo unum ubique Augustinum laudari, unius Augustini sententias, veluti ex oraculo responsa, proferri, eundemque in Theologicâ palæstrâ supra cæteros Ecclesiæ Patres attolli, ipsi quò procul à Jansenio declinarent, eò usque præcipites disputationis astu abrepti sunt, ut Augustino ferè nuncium remiserint, clamantes cum Morainio in præfatione Anti-Jansenii: *Qui prius Augustinum in omnibus deprecabatur, nunc sibi liberum putant ne quidem arbitrium honorarium in aliis illum admittere.* Imò quò facilius cæteros ad Augustini dicta examinanda animarent, divinum illis ad tam sanctum opus auxilium adfuturum polliciti sunt illis Annati vocibus lib. 8. sui Aug. vind. cap. 5. pag. 897. *Neque adeo perversum est hoc consilium, ut habere non possit adiutorem Deum.* Augustinus ad Adrumetinos Monachos initio libri de Gratia, & libero arbitrio scripsit, ad sua ipsius scripta intelligenda divinam opem implorandam: *à Domino ut intelligatis orate.* Annatus verò ad eadem Sancti Doctoris scripta censuris perstringenda, etiam si non rogetur, Deum obvium adiutorem spondit, cum temeritatis ultorem potius timere debuisset. Adamus pag. 632. in fine cap. 7. Augustini excessus innocentem passionem contra Pelagianos nuncupavit, sed lepido vocabulo accusationis acerbiter non mitigavit. An verò Recentiorum in Augustino reprehendendo excessus innocens passio contra Augustinum dici possit, ipsorum conscientiam appello; certè ipse ita iudico.

#### CAPUT IV.

*Recentiores Sancto Augustino plures errores perperam obijciunt.*

**I**n vitus quidem in hanc arenam à Recentioribus trahor, quippè qui invito Augustino Augustini causam defendendam suscipio, vereorque ne mihi vitio detur, Parentis imperio refragari. Etenim cum vir clarissimus Sanctus Marcellinus summâ cum potestate ab Honorio in Africam contra Donatistas delegatus, accepisset nescio quem Augustino errorem obijci, id amicissimo Antistiti per literas significavit, quo obrectantium calumniis obviam iret. Verum Augustinus hæc rescripsit: *Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscipitis, facile in eâ me ipso iudice super amini:* Epist. 7. Sed haud difficulter à magno Patre me veniam impetraturum

spero, si ejusdem factum imiter, qui cum errorem, cujus argui se iuxta Marcellini Epistolâ intellexerat, procul à suis scriptis esse cognosceret, pravam de sua sententiâ conceptam opinionem confutavit, ostendens eam accusationem non correctorum intelligentiâ, sed malitiâ, atque imperitiâ tribuendam. Quare cum Recentiorum etiam non quidem malitiâ, sed ut mitius loquar, imperitiâ plurium errorum idem reus accusetur, nostrum est innoxium Patrem ab adversariorum objectis vindicare. Hujus quoque defensionis necessitatem subiere Sancti illi Doctores, qui adversus Pelagianorum reliquias pro Ecclesiâ, & Augustini doctrinâ certarunt. Nam eò usque audaciâ quidam devenere, ut non illos puduerit, indicem errorum Sancti Augustini contexere, (Sancti Prosperi verbis utor) *ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent, talique commento, & detestationem ejus, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent.*

In Præfat. ad cap. Gallorum. Horum vestigiis nonnulli recentes Scriptores inhærentes plurium Augustini errorum indicem publicarunt, quo Sancti Doctoris fama, atque auctoritas in ordinem redigeretur. Hosce catalogos non unus edidit. Adamus tamen par. 3. cap. 3. pag. 584. ac Moraines disp. 12. Anti-Jansenii à num. 32. cæteris hæc in re diligentem operam posuere. Contra hosce Augustinianæ doctrinæ censores egregiè stylum acuit sapientissimus Pater Carolus Moreau Augustinianus integro volumine inscripto *Vindiciæ pacificæ*, quod primo Tomo sui Tertulliani Appendicis loco apposuit, ubi diffusissimè objectos Augustino errores procul esse à tanti Patris doctrinâ demonstrat. Nos eos tantum refutabimus, quos Adamus, ac Morainius concinnarunt, & quos veluti capitales ad Augustini famam, vel saltem auctoritatem elevandam objectant, in quâ quidem re ita procedo, ut quæ in Moreau desiderari ab eruditis poterant, hic tantum afferens, nihil interim ex illo Scriptore mutuare velim.

Inter cætera volumina, quæ innumera quidem posterorum memoriæ Augustinus consignavit, primo loco laudantur libri ejusdem Retractionum, & Confessionum; in istis voluntatis, in illis intellectus errores, quos cæteri tantâ arte, ac conatu celare solent, Orbi universo patefecit. In utro magis laudandus incertum. Et quidem quò edita abs se volumina attentiori curâ examinaret, Eradium in Episcopatu sibi adhuc viventi successorem impetravit. Ita ab ingenti negotiorum tumultu sequestratus, diu noctuque destinato operi incumbens, quælibet à se dicta censoriâ auctoritate discussit, ut nullus in Augustini libris examinandis severior Augustino iudex esse potuerit. Ea verò diligentia, ac tam rigorosa censura Recentioribus non suffecit, sed novas in Hipponensi Sole maculas notaturi, Augustini iterum libros in quæstionem vocarunt, vociterantes novos se in Augustinianis libris navos, ac maculas deprehendisse, quò Augustino oculatioribus haberentur. Sed age novos hosce censores audiamus.

#### §. I.

*An Sanctus Augustinus erraverit, putans, animas rationales, & Angelos esse corporeos?*

**O**bjicit primo loco Adamus docuisse Augustinum: *Animas, & Angelos esse corporeos, ac so-*

*lum*

lum Deum esse immaterialem, pag. 585. At Moraines scribit: *Sentit etiam Angelos, & Demones esse corporeos.* Adamus prius refellendus est, qui Semipelagianorum errorem ipsorum hosti Augustino imponit. Docuerat Cassianus Collat. 7. cap. 13. solum Deum esse spiritualement, animas verò hominum esse corporeas; eundem uti in materia de gratiâ ita eâ in opinione secuti sunt Faustus in Epist. ad Paulinum, & Gennadius in lib. Eccles. dogm. cap. 11. At Sanctus Augustinus animam rationalem non solum spiritualement absque ullâ corporeâ facis permixtione asseruit, verum etiam id solidè demonstravit. In Epist. 28. ad Hieronymum ait: *Incorpoream quoque esse animam, & si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum.* Illo sanè optimo argumento, quòd in omnibus, & in singulis particulis corporis tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spacia locorum minoribus suis partibus minora occupare, & amplioribus ampliora; quam sententiam firmissimè de animâ tenere se dicit. Et lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 33. ait: *Animam verò non esse corpoream non me putare, sed planè scire audeo profiteri.* In libro de Quantitate animæ diligentissimè, ac subtilissimè disputatum est, inquit, ut eam, si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse: Lib. 1. retract. cap. 8. Præterea lib. 4. de Orig. animæ à capite 12. usque ad cap. 22. evidentibus argumentis probat animam esse incorpoream. Quid clarius ab Augustino dici unquam potuit? & tamen eam Sancto Doctore absurditatem Adamus afficit! Scribit lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 24. *Nihil vicinius, aut fortè nihil tam consequens, quàm ut credito, quòd anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur: quòd Tertulliano accidisse addit cap. 25. Epist. 157. ad Optatum: Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quòd perversus quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Quâ dementiâ repulsa &c.* Itanè Augustinus docuit animam corpoream esse, cum hoc effatum somnium, dementiamque pronunciauerit, nihilque perversus dici posse asseruerit? Adamus hæresim illam Augustino apponit, nec unicum saltem locum Augustini designans, ubi animam corpoream ille putavit, quasi tam celebris fuerit ea Augustini sententia, ut neque ullius textus citatione indigeret. Audiatur interim Claudianum Mamercum, qui eodem sæculo paulò post Augustinum vixit, ita de Sancto Doctore loquentem: *Aurelius Augustinus & acuminis ingenii, & rerum multitudine, & operis mole veluti quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zeno sensuum subtilitate, aut Varro nosler voluminum magnitudine, & qui profectò talis naturâ, attentione, disciplinis extiterit, ut non immeritò ab istis corporalibus nostri sæculi Epicureis, aut Cynicis Spirituales Sophista disenserit, libro ad Hieronymum de origine animæ sic pronunciat: Incorpoream esse animam, & si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Cumque id ita fore rationibus magnis, atque insolubili argumentatione convincat &c.* Lib. 2. de statu animæ cap. 9. Putasne Lector, Adamum harum unam rationem, vel argumentationem legisse?

Sed jam illo Scriptore patentissimè falsitatis convicto, quid de Angelorum corporibus Augustinus

senferit videamus. Celebris sententia Platonicorum fuit, Angelos conflatos esse ex spiritu, & corpore quodam subtilissimo elementari quolibet longè nobiliori, ut ex Apulejo pluribus tradit Augustinus lib. 8. de Civ. Dei cap. 8. & 16. Hanc sententiam ex Patribus secuti sunt Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, Lactantius, & pro eadem citantur Athanasius, Basilus, & Methodius à Joanne Episcopo Antiocheno, ejus verba etiam sunt in Synodo Nicenâ II. act. 5. *Solummodò autem Deus incorporeus, & informabilis. Intelligibiles autem creature nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles picturâ existunt.* Eidem opinioni adhæserunt Cassianus, Faustus, Gennadius, alique. Verum plures sapientissimi Patres oppositum opinabantur, omnem ab Angelis corpulentiam removentes. Augustinus, quòd eam quæstionem tractare ex professo noller, videretque utramque partem plurimorum auctoritate firmatam, in re difficill, ac dubiâ sententiam suspendit. Id ambiguum esse scribit lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. At lib. 21. cap. 10. ubi quærit, an ignis corporeus possit Demones torquere, ait: *Sunt quædam sua etiam demonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est &c.* Postea: *Si autem quisquam nulla habere corpora Demones assererat, non est de hæc re operosa inquisitione laborandum, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse penâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris &c. Ath. erubunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus Demonum; imò spiritus Demones licet incorporei corporeis ignibus cruciandi.* Ex quibus dubium se de Angelorum corpore fuisse significat, at non de animâ dubitasse, quam profectò incorpoream dixit. Undè Adamus hoc ipso testimonio rursus arguitur, ac Morainii hallucinatio, qui eam sententiam uti certam ab Augustino asertam dicit, quæ dubia semper apud eundem fuit, licet quandoque corporeos esse Angelos supponat, ne novâ illatâ quæstione ab argumento distrahatur. Non desinere tamen, qui Augustinum dubitantem sequerentur, unus pro mille sit Sanctus Bernardus, qui lib. 5. de Consider. cap. 4. ait: *Quamquam de corporibus horum, nempe Angelorum, non modo undè sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Undè si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. Et Serm. 5. in Cant. Cæterum, inquit, Angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, & sint animata sicut homines &c. videntur Patres de huiusmodi diversa sensisse; nec mihi perspicuum est, undè alterutrum doceam, & nescire me fateor; sed & vestris profectibus non multum confere arbitror harum rerum notitiam. Hæc sanctissimus, idemque doctissimus Pater.*

## §. II.

An Sanctus Doctor asseruerit Solem, & astra esse animata?

Rursus opponit Sancto Patri Morainius: *Tremdu-bitavit num Sol, & Luna, alique sydera, quæ oculis conspicimus, sint animata.* Ibidem. Sed hic quoque adversarii eruditio vel desideratur, vel appellatur. Etenim apud veteres non modò Philosophos, verum etiam Patres controversum erat, essentia cæli animati. Platonicæ, ac Stoicæ animatos cælos dicebant, in quorum opinionem ivere Cicero lib. 2. de